

ra dependentia. Sequela vero probatur, quia si dependet physice, et causatur passio ab essentia, in quantum emanat ab illa in aliquo genere causæ dependet, nec est aliud quam in genere causæ effectivæ, licet enim etiam recipiatur passio in substantia, tamen receptio non est emanatio.

Respondetur emanationem esse veram et physicam causalitatem, non tamen distinctam ab ipsa generatione, quæ ut attingit substantiam, dicitur generatio, ut autem mediante ipsa substantia progreditur ad passiones ratione debiti, et connexionis cum illa, dicitur emanatio. Et sic substantia est principium passionum, non ut primo eliciens productionem illarum, sed ut medium, et ratio progrediendi actionem ad illas, ita quod generatio non sistat in ipsa, sed mediante ipsa ulterius transeat ad passiones, et quantum ad hoc est principium ipsius ulterioris transitus, et ratione suæ connexionis cum passione juvat, et conducit ad illum progressum actionis, et sic non est in otio et quiete, sed vere agit actione generationis, non elicita a se, sed terminata ad se et ratione sui ulterius progredientis. Hoc enim contingit, quando aliquod agens ordinate producit multa, prius attingens unum, et mediante illo aliud; illud enim quod immediate attingitur, quatenus est ratio transfundendi actionem ad terminum secundum, dicitur active se habere, ut dicit D. Thomas opusculo citato sicut clavus infixus trahi, si mediante clavo movetur, quamvis totus motus effectivo sit ab homine movente clavum, et trabem, tamen clavus etiam se habet active ad motum trabis, sic subjectum movetur a generatione, et est ratio ut ipsa generatio transeat ad passiones attingendas. Nec potest dici, quod terminus secun-

darius non attingitur ab actione, alias esset primarius. Contra enim est, quia si nullo modo attingitur, nullo modo pertinebit ad ipsam actionem, et sic nec secundarius erit. Et quando dicitur, quamvis conditio deficiat, ut emanatio sit vera actio, respondetur quod respectu generantis nulla deficit, quia vera actio est, respectu vero essentia deficit, quod sit primum principium, unde incipit motus, cum non ab ipsa incipiat, sed a generante.

Secundo objicies: Specialiter de illis passionibus, quæ aliquando impediuntur, et iterum fluunt, ut cum aqua calida reducitur ad frigiditatem, lapis remoto obstaculo descendit, tunc enim illa frigiditas est de novo producta, et distincta numero ab ea, quæ antea corrupta fuit, et ad eam Deus de novo concurrat, cum de novo sit in rerum natura, et in aqua fit novus motus, cum per transmutationem ejus a calore in frigus reducatur aqua, quæ transmutatio non fuit in prima generatione, ergo fit illa frigiditas nova actione, sicut et novo motu, et non actione generantis: quæ jam præterit, et generans amplius non influit, ergo per actionem productam ab ipsa substantia. Confirmatur, quia si passiones se ipsis emanant ab essentia, et non media actione, se ipsis sunt ipse effluxus ab essentia, ergo inseparabiles erunt ab essentia, sicut ipse effluxus et actio inseparabilis est, cum tamen constet quantitatem separari a substantia, cujus est proprietas.

Ad hoc argumentum respondemus infra q. XIII, agendo de motu gravium et levium, ubi ex mente D. Thomæ ostendemus in forma producta per generationem, virtualiter manere generationem, sublatoque impedimento iterum explicari in passionem, et emanationem, virtualiter posse esse motum, si re-

moveat contrarium impediens se.

Ad confirmationem respondetur proprias passiones, quæ non sunt modi, separari per se ab essentia, impedita actione generantis et effluxu emanationis, ne ipsas tangat; vel supplente Deo ipsam sustentationem earum in subjecto, nec enim sunt essentialiter ipsa actio, sed terminus ejus.

*Nota.*

De subordinatione causarum tam principalis, quam instrumentalis hic agendum erat, sed tractatus iste provecioribus convenientior est quam tyronibus: ad ultimum octavi libri reservatur, ubi agitur de comparatione mobilium ad motum usque ad primum motorem.

QUÆSTIO XIII.

DE FINE.

Eundem ordinem servabimus in explicanda causa finali, quem in reliquis causis, ut primo agamus de ratione formali causandi, et conditione requisita. Secundo, de causalitate. Tertio, de effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum apprehensio finis sit ratio causandi, vel solum conditio?*

Duo supponenda sunt. Primum est, finem debere habere rationem boni, et appetibilis ut sit finis, nec sub ratione mali posse aliquid finalizare. Quod licet aliqui auctores negent, nunc tamen id supponimus, ut tradi solet I-II, q. VIII, art. 1. et I p. q. v. artic. IV. Cujus ratio manifeste sumitur ex ipsa essentia finis:

est enim id cujus gratia aliquid fit, si autem sit malum sub ratione mali, hoc ipso habet rationem disconvenientis, et inappetibilis, ergo illius gratia, seu amore nihil potest appeti, quod enim est disconvenientis, quomodo potest esse gratum aut illius gratia cætera appeti? Constat autem quod si aliquid appetitur sub ratione mali appeti debet ut disconvenientis sibi; nam si est convenientis sibi, licet alteri disconvenientis, et malum, hoc ipso appetitur sub ratione boni, non sub ratione mali; unde quæcunque mala etiam ipsum non esse rationem boni induere debent, ut appetantur, vel comparative ad aliquid pejus, vel ex deceptione existimante bonum, sicut non esse sub ratione carendi a præsentis miseria appetitur. Et ininiens odio habetur in se ipso vel per actum fugæ, quia oritur illud odium ex abominatione et fuga disconvenientia, quæ est in inimico, vel actu prosecutionis, quo fertur voluntas in inimicum ut nocivum mihi, et sic odio dignum in se quia mihi bonum est reputare dignum odio, quod mihi est disconvenientis.

Secundo, suppono varias esse visiones finis, quas in præsentis non possumus exacte discurrere, perlinet enim potius ad Philosophum moralem, vel Theologum: breviter dicimus, quod cum finis, et terminus videantur esse idem, sicut contingit dividi rationem termini, ita et finis. Sunt autem quatuor, quæ termini, vel finis rationem habere possunt. Primo, id quod est terminus cujuscunque agentis. Secundo, dicitur terminus, seu finis id quod appetitur quasi terminus inclinationis, et appetitus. Tertio, id cui appetitur, terminat enim appetitum tanquam subjectum, cui aliquid attribuitur. Quarto, id quo consequimur finem, illo enim terminatur

actio, et sic datur finis cuius gratia, qui est id quod appetitur ut ratio cæterorum. Secundo, datur finis *cui*. Tertio, finis *quo*. Id vero quod est terminus agentis quomodocunque dicitur finis effectus, et non finis causa, qui etiam aliquando vocatur finis propter *quem*, sicut providentia regis est propter securitatem rustici quia scilicet est effectus ejus. Et finis causa semper est mobilior suo finalizado, finis autem effectus non est mobilior sed inferior causa sua.

Finis causa, sive finis, cuius gratia dividitur in finem ultimum, et non ultimum. Finis ultimus est ad quem omnia ordinantur sine subordinatione ad alterum. Non ultimus ad quem ordinantur aliqua cum subordinatione, et dependentia ad alterum. Et habet veram rationem finis, etiam non ultimus, sed participatam, in quo rationem medii aliquo modo induit; simpliciter tamen habet rationem finis, quia simpliciter est appetibile, licet participative, sicut substantia creata est ens per se, participative tamen ab increata; ex quo intelligitur alia divisio finis ultimi, quod alius est finis ultimus simpliciter, id est, in omni genere, cui omnia in quocunque genere subordinantur, vel ultimus in aliquo genere, et respectu hujus appetentis. Solet etiam distingui finis in finem operis, et finem operantis. Primus est ipsi operi debitus secundum se. Secundus, ex intentione operantis præfixus; et denique alius est finis primarius, qui primo et directe intenditur, alius secundarius, qui ex consequenti, et alio præsupposito.

In præsentī disputatione solum agimus de fine cuius gratia, quia solum iste est finis causa, et distinguitur a reliquis causis. Et in hoc articulo intendimus discernere rationem formalem causæ finalis

a conditione requisita; constat enim concurrere ad appetitum finis, et propriam ejus bonitatem ex parte rei appetibilis et apprehensionem, seu propositionem ejus, ut manifestetur appetitui, et inquirimus an utraque ista ratio concurrat ut ratio formalis, vel altera ut conditio, et altera ut ratio formalis.

Sunt autem duæ principales sententiæ in hac parte. Prima, et communior sententia est, quod cognitio solum est conditio finalizandi, ratio vero formalis est ipsa bonitas, quæ convenit rei secundum se, et non ratione apprehensionis, sive secundum esse possibile, sive secundum esse existens. Ita communiter discipuli D. Thomæ, Cajetanus 1-11, q. 1, ar. 1; Ferrariensis 1 contra Gen. c. XLIV, §. Sciendum secundo; Soto 11 Phys. q. 11, §. Causa finalis; Suarez dis. xxiii Met. sect. viii; Fonseca, Pereira, et alii, quos citat Egidius lib. 1 de fine, q. vi, ar. 1v.

Secunda sententia principalis tenet apprehensionem finis non esse conditionem sed rationem formalem causandi. Ita Medina 1-11, quæstion. 1, art. 1, idemque attribuitur Soneinati, et Capreolo, et aliis, qui auctores non sentiunt realem bonitatem non pertinere ad rationem formalem finis, apprehensionem, et habere se bonitatem apprehensam sicut calor lucidus; lux enim non est conditio constituendi calorem in esse visibilis, sed formalis ratio; sic bonitas finis non solum ut subest suo esse, sive possibili sive existentī, sed etiam ut subest esse apprehensio formaliter redditur finalizans.

Inter has duas sententiæ principales, duæ mediæ interjacent, quæ illas quodammodo modificant. Prima est P. Vazquez XII, disp. 11, cap. 11 et 111, qui distinguit de cognitione, seu conceptu formali, et objec-

tivo, et dicit quod finis, ut dicitur conceptum objectivum, et esse intentionale in intellectu, sic induit rationem formalem finalizandi. Cæterum ipse conceptus formalis, a quo denominatur res cognita, et in quo res ipsa representatur, dicitur quod solum unum est conditio requisita ad finalizandum. Aliter sententia est Magistri Bannez 1 p. q. xc, ar. 11, ad argumenta primæ sententiæ, qui affirmat cognitionem non esse formalem rationem finis sed radicalem, quatenus cognitio est radix appetitus tendentis in finem; et hac ratione potest pertinere apprehensio ad rationem objectivam specificantem.

Nihilominus sit unica conclusio: Apprehensio non est ratio formalis finalizandi, sed conditio requisita ad finem pro ea parte, qua finis etiam est objectum, neque est conditio solum per modum applicationis, sed etiam per modum existentie. Itaque sicut in efficiente datur duplex conditio, altera existentie in se, altera applicationis ad passum, ita in appetibili, quod habet rationem finis, et objecti, apprehensio utramque præstat conditionem, et applicationis ad appetitum, et existentie in esse objectivo, ut intentionaliter, et metaphorice moveat. Fundamentum est, quia esse apprehensum est conditio omnis objecti propositi voluntati, sive sit finis, sive medium, *nihil enim est volitum, quin præcognitum*. Quod ergo est commune fini, et non fini, non potest esse ratio formalis finalizandi, sed pertinet ad communem rationem finis, et medii seu cujuscunque appetibilis, et hæc ratio communis est esse objectum voluntatis, unde in fine distinguitur ratio objecti a ratione finalizandi, ut sumitur ex D. Thoma 1-11, quæst. xviii, articul. 1v et v, et advertit etiam Cajetanus ibidem, quæst. 1,

artic. 111, ut statim explicabimus. Quod non solum convincit cognitionem, et conceptum formalem esse conditionem, et non rationem formalem, sed neque ipsam rationem conceptus objectivi ut apprehensi, et ut habentis esse intentionale, quia hoc ipsum est commune omni appetibili, et objecto volito, sive sit finis, sive non; ergo non est propria ratio finis, neque ut ratio *quæ*, neque ut ratio *sub qua*, ratio enim *sub qua* est formaliter et magis determinata, quam ratio *quæ*, ut patet in ipsa luce, et colore: lux enim formalizatur, et peritit colores in ratione visibilis. Si ergo esse cognitum est communius, quam finis, cum etiam requiratur, ut sit volitum id quod non est finis, non potest esse ratio formalis *sub qua* ipsius finis.

Et urgetur hoc amplius: Quia apprehensio non est potest esse formalis ratio determinativa boni, et appetibilis in ipsa linea appetibilitatis, quia apprehensio pertinet ad rationem manifestativi, et cognoscibilis; appetibile vero ad rationem boni realis, et convenientis appetenti; unde illa apprehensio non addit aliquid in genere, et linea appetibilis, sed supponit illam, et solum manifestat, unde nullus intendit apprehensionem tanquam aliquid consequendum, vel fruendum. Si autem apprehensio se haberet ut ratio formalis simul cum ipsa bonitate reali, utramque deberet esse in eadem linea, et genere appetibili, sicut lux, et color sunt in genere visibili, ergo si apprehensio appetibile sunt in diverso genere, quia unum in genere cognoscibilis, et manifestabili, alterum in genere volibili, non potest utraque ratio formaliter se habere, sed una ut ratio formalis, altera ut conditio, sine qua tamen bonum non movebit, sicut ignis non existens vel non applicatus non comburit. Et ideo est conditio insupplebi-

lis a Deo apprehensio, quia non solum est conditio per modum applicationis, sed etiam per modum existentiae ad finalizandum requisitae.

Sed inquires duo. Primum, quomodo distinguatur formalis ratio objecti et finis in ipso bono. Secundum, an bonitas ipsa realis sit formalis ratio finis, quatenus bonum transcendentale est, et passio entis, an quatenus est bonum relate et secundum convenientiam; hoc enim est, quod dividitur in honestum, utile, et delectabile.

Ad primum respondetur distinguendo sine dubio rationem objecti, et finis ut supra diximus, et differunt penes diversa officia, et respectus: est enim munus objecti specificare actum, tanquam principium extrinsecum, a quo pendent actus in sua specificatione, unde objectum invenitur tam in eo quod est finis, quam quod non est finis, tam respectu potentiae appetentis, quam cognoscentis, in omnibus enim actibus specificatio est ab objectis. At vero munus finis non est specificare, seu determinare id quod ad speciem, et constitutionem rei pertinet, sed terminare, et ultimare ea, quod pertinet ad exercitium, et executionem rei fiendae: nullus enim movetur ad aliquid faciendum, vel exequendum, nisi sibi ponatur finis operationis, et motus, alias maneret infinitus, et impertransibilis, si non poneretur sibi aliquid ubi sisteret et quiesceret, et ideo finis importat bonitatem, seu perfectionem sistendem motum, et sic moventem ut in se sistatur, et sic diffundit suam bonitatem non propugnando illam efficienter, sed praebendo id ad quod efficientiae motus terminetur.

Ad secundum respondetur, quod bonum, ut sit finis, sine dubio non debet habere solam bonitatem transcendentalem sub conceptu absoluto,

sed sub conceptu convenientis, et ordinate ad alterum, cui est bonum; quia finis est id cuius gratia aliquid fit, ergo debet esse conveniens respectu ejus, quod fit propter illud, alioquin gratia illius non erit, si non habet ordinem convenientis ad se. Urgent vero aliqui: In amore amicitiae, in quo amicus appetitur et non ut conveniens mihi, sic enim esset amor concupiscentiae. Item quia ipsa convenientia non est ratio formalis appelendi, est enim relatio, quae non appetitur, neque intenditur ratione sui. Sed haec parum urgent. Ad primum enim dicitur, quod amor amicitiae non respicit amicum propter bonitatem transcendentalem, qualis invenitur etiam in rebus inanimatis, sed propter bonitatem, quam in se habet, non ut convenientem mihi convenientia solius utilitatis, aut quatenus mihi servit, bene tamen convenientia communicationis, et familiaritatis, quae est convenientia honesti, amicitia enim fundatur super aliquam communicationem bonorum, ut dicit D. Thomas II. II. q. XXIII, art. 1. Ad secundum dicitur, quod qui appetit bonum ut conveniens, non appetit ipsam relationem convenientiae, sed id quod fundat talem relationem.

#### *Solvuntur argumenta.*

Primo arguitur: Quia diversa ratio apprehensi facit diversitatem in appetitu non vero diversum appetibile, sicut appetitus innatus, et elicitus, differunt penes apprehensum, vel non apprehensum, et appetitus sensitivus, et intellectivus penes diversum modum apprehensum. Quod etiam testatur S. Thomas I. p. q. LXXX, art. II ad I, ubi inquit: « Quod differentiae apprehensi sunt differentiae appetibilis, unde poten-

tiae appetitivae differunt secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria objecta, » ergo ratio apprehensi ad formalitatem pertinet appetibilis. Et apertius I. II. q. XXXI, art. I ad I, ubi inquit: « Quod cum appetitus animalis sit bonum apprehensum, diversitas apprehensionis pertinet quodammodo ad diversitatem objecti. » Et idem fere habet ibi quaest. XXX, art. II ad 2.

Respondetur quod apprehensio, quae facit differre specificative potentias appetitivas, non est apprehensio formalis, et ex parte subjecti se tenens, sed radicalis, seu objectiva, ut deducitur ex D. Thoma I. p. q. I, ar. II ad 2, id est, res ipsa appetibilis, sic considerata quod fundat diversum modum appetibilitatis, quae requirit diversum modum movendi, et inclinandi potentias; ubi apprehensio ipsa non est ratio formalis, sed conditio, sicut eadem res ut futura, vel ut praesens fundat in appetitu diversos actus, scilicet spei vel gaudii, timoris, vel tristitiae, eum tamen variatio praesentis, vel futuri, non variat ipsam intrinsecam naturam appetibilis, sed quandam conditionem ejus, scilicet existentiam, quae intrinsece requiritur, et ideo res ipsa ut fundat istum diversum modum existendi, redditur diverso modo appetibilis: sic ut fundat diversum modum existentiae objectivae, quae requiritur ad movendum metaphorice, et intentionaliter, constituit diversum appetibile, et specificat diversos appetitus. Unde dicit D. Thomas q. XXII de Ver. ar. IV ad I: « Quod voluntas ab appetitu sensibilis non distinguitur directe per hoc quod est sequi apprehensionem hanc vel illam, sed ex hoc quod est determinare sibi inclinationem, vel habere determinatam ab alio, qua duo exigunt potentiam non unius modi, sed talis diversitas re-

quirit diversitatem apprehensionum; unde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensivarum, et non principaliter. » Ita D. Thomas, ubi satis clare traditur doctrina posita per apprehensionem radicalem, vel formalem quatenus in aliquo appetibili radicatur diversus modus movendi, quod utique per diversam apprehensionem fit, non tamen apprehensio ipsa formalis est ratio distinguendi. Et similiter quaest. XXV de Verit. art. I ad 6, dicit: « Sumi distinctionem virium appetentium ex diversitate apprehensionis per accidens, per se autem ex diversitate apprehensorum. »

Secundo arguitur: Quia multa sunt, quae movent non per bonitatem realem, sed per apprehensam, ut patet in omnibus, qui ex deceptione moventur circa impossibile, vel quodeunque bonum apparens, ergo est major connexio inter apprehensionem et appetitum, quam inter bonitatem realem et appetitum ipsum, nam sine apprehensione finis movere non potest, sine bonitate autem reali potest dummodo sit apprehensa, ergo formaliter, et intimius concurrens apprehensio, quam bonitas realis. Unde videmus, quod variata apprehensione, vel dictamine variatur species actu, v. g. de bono in malum, et e contra de timore in tristitiam, et aliis similibus.

Respondetur bonitatem apprehensam movere ratione bonitatis realis, ut supplere per ipsam representationem, et ut dans eminentiam objectivam, et intentionaliter ipsi appetibili, ut intentionaliter, et metaphorice moveat; unde non sequitur quod apprehensio sit ratio formalis, sed quod suppleat, et deferat secum id quod est ratio formalis, scilicet ipsam bonitatem realem appetibilis.

Quod vero non possit suppleri ipsa apprehensio, sicut suppletur bonitas realis ideo est, quia apprehensio non est conditio extrinseca importans solam applicationem ipsi passo, vel alicui extrinseco, talis enim conditio suppleri potest a Deo, quia extrinseca est, sed apprehensio dicitur conditio intrinseca, quia non est conditio conjungens alicui extrinseco, sed ut præbens ipsi appetibili esse intentionale, et objectivum, ut metaphorice moveat; unde sic requiritur apprehensio in fine quæ dat existentiam intentionalem, sicut existentia realis in efficiente, quæ est conditio insupplebilis a Deo, neque enim potest operari res non existens sicut nec finalizare res non apprehensa. Quod vero bonitas realis possit suppleri, non est quia sola apprehensio sit ratio formalis, sed quia est medium, seu conditio representans id quod est appetibile, applicatio autem representativa non est necesse quod supponat existentiam rei applicatæ, siquidem gerit vires illius et in se habet eam; applicatio autem physica supponit semper existentiam rei applicatæ, inexistens enim applicari nequit, quia non gerit vires ejus. Quod vero dicitur sola apprehensione variata variari in specie actus appetitus, jam diximus id fieri ratione diversæ apprehensionis radicalis, et ex parte objecti, non formalis, quæ est solum conditio.

Ultimo arguitur: Quia motio formalis causandi debet esse id cui formaliter correspondet ista motio, sed non correspondet bonitati reali, quia bonitas realis solum est principium causalitatis veræ et realis; ergo ut induit rationem cogniti, et intentionalis esse. Similiter per rationem apprehensionis induit modum prioritatis in causando, quam non habet in ratione bonitatis realis; sic enim potius est posterior,

utpote pertinens ad executionem; ergo status apprehensionis pertinet ad rationem formalem finalizandi.

Respondetur quod motio metaphorica licet metaphorice sit motio, vere tamen est aliqua causalitas in re, licet explicetur modo metaphoricè per motionem, ut articulo sequenti dicitur. Unde correspondet ista causalitas ipsi bonitati reali non absolute, sed ut vestitæ intentionali, et objectiva existentia, quæ non se habet ut ratio formalis, sed ut conditio, sicut realis existentia non est formalis ratio operantis effective, sed conditio: et licet finalizet vere, movet tamen metaphorice; ad hoc enim sufficit realis bonitas sub existentia intentionali, ut statim explicabitur. Quod vero dicitur, habere prioritatem ratione apprehensionis, respondetur quod ex se sicut radicaliter objectiva, ita est radicaliter prior; ut autem formaliter apprehensa, formaliter prior in intentione; ut vero induit existentiam realem, sed ultima in executione quia est effectus, non causa.

#### ARTICULUS II.

##### *Quæ sit causalitas finis?*

Ex hac difficultate dependet alia, quæ simul cum ipsa declarata manebit, scilicet an finis sit vera, et physica causa: habent enim se correlative causa, et causalitas, et in tantum est vera et physica causa, in quantum veram et physicam causalitatem habet.

Duo autem supponimus in præsentia. Primum est, omnes fere intelligere aliquid metaphoricum, et improprie dictum intervenire in causalitate finis, tum quia id expresse docet Aristoteles 1 de General. tex. v, inquit: « Quod id cuius gratia, non est activum, nam sanitas

non factivum est, nisi secundum metaphoram. » Tum quia finis non movet, nisi prout in cognitione, atque adeo modo intentionali, quid distinguitur a naturali et mobili. Tum etiam, quia finis movet ut terminus, in quem ponderat actio, ut ibi terminatur, non ut principium actionis, unde ut reddatur principium, oportet extrahi a realitate existentia ad objectivam apprehensionem, tum denique, quia finis movet alliciendo et attrahendo, attractio autem non est propria motio, quia motio est transitus aliquis, illa autem attractio solum est convenientia, et sympathia unius ad alterum, ut trahatur ab illo quod non nisi translative dicitur motio.

Secundo, suppono quod (ut latius dicemus sequenti articulo) causalitas finis se extendit tam ad operantem, quam ad ejus effectus, licet diversimode, nam effectus, et actiones agentis respicit finis, ut causata a se, agens autem, seu operans ut mobile a se: et ita dicit D. Thomas quæst. v de Potent. art. 1: « Quod finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum. » Unde et finis dicitur causa causarum, quia movet alias causas ad agendum.

Et ratio est, quia agens non operatur, nisi ut determinatum ad aliquid quod operetur, alias a casu, et per accidens operabitur; determinatur autem a fine, qui est terminus in quem tendit agens; ergo motio finis ita debet respicere actiones, et effectus, ut rem causandam, quod etiam ipsum agens respiciet tanquam mobile, quod determinat ut operetur. In ipsis autem agentibus, quia alia sunt executiva, alia imperantia et dirigentia, finis non potest immediate movere illud agens, quod est pure executivum, et cognitione carens, sed illud quod se dirigit, et movet

in finem, a cuius directione executiva agentia moventur. Non enim bonitas finis potest movere, nisi aliquid appetitum; appetitus autem vel est innatus, vel elicitus, innatus debet esse directus ab aliquo dirigente ipsum in finem, quia ipse non sed dirigit, elicitus autem supponit cognitionem, in hoc enim consistit quod sit elicitus, et sic prima motio finis debet esse in appetitum se dirigentem in finem, deinde in agentia, quæ sunt directa ab alio, quia omne quod est directum non a se, supponit aliud a quo dirigatur, et cum non sit processus in infinitum, oportet venire ad aliud, quod se dirigit in finem, et hoc est appetitus rationalis.

Difficultas ergo præsens ad hoc solum reducitur, ut explicemus, quid sit vere et proprie illud, quod metaphorice, et improprie vocamus motionem in causalitate finis; oportet enim quod sit vera causalitas, et propria, licet sit metaphorice actio seu motio, sicut Christus dicitur leo metaphorice propter fortitudinem, non quia sit in eo metaphorice fortitudo, sed est metaphorice leonina, vero autem divina, similiter finalizatio metaphorice dicitur motio, vere autem causalitas finis, et inquirimus quid sit illud vere.

Variè circa hoc sentiunt auctores. Principales autem sententiæ reducuntur ad quinque. Prima assertit consistere in qualitate, nempe in aliquo actu intellectus, vel voluntatis, scilicet cognitione excitante, vel volitione, aut intentione ipsius finis. Ita Cabero hic tract. ii, disput. vi, dubit. iii. Secunda assertit esse ipsam actionem agentis præsertim voluntatis operantis, quæ actio sub respectu egressionis, et dependentiæ ab agente dicitur actio, sub dependentiâ a fine, est finalizatio. Quid sit autem ista dependentia a fine restat explicandum. Ita Suarez disput. xxiii

Met. sect. iv; Rubius tract. de causa finali, quæst. iii; Carmelitani hic disput. xiv, quæstion. v. et plures Thomistæ ad i-ii, quæst. i, artic. 1. Et ad idem reducitur sententia Scottistarum, quod causalitas finis fundamentaliter sumpta est idem eam actione voluntatis, qua eligit, vel imperat media, formaliter vero est relatio distincta a relatione causæ efficientis, sicut ipse finis distinguitur, et hæc relatio subjectatur in ipsa causa, et terminatur ad effectum. Ita Fonte ii Physicor. quæstion. vii, diffic. iii, art. n. Sed mirum est, quod fundamentum hujus relationis dicitur esse ipsa actio efficientis, et tamen subjectari dicitur in ipso fine. Quomodo ista coheret? Cum relatio nunquam separatur a fundamento.

Tertia sententia dicit, causalitatem finis esse aliquid medium inter finem et finalitatem resultans a fine, sicut actio est medium inter efficiens, et effectum. Quam sententiam placuisse quibusdam recentioribus referunt Fonseca et Conimbricenses. Sed neque ipsi videntur ab ea abhorre, nam Fonseca v; Metaphys. cap. ii, q. xiii, sect. iii Conimbricenses ii Physic. cap. vii, q. vi, art. ii, dicunt causalitatem finis esse modum ipsius finis, licet ab eo realiter indistinctum; et q. xxi, art. iii ad 2, inquirunt actionem ipsius intellectus proponentis voluntatis finem, præcedere causalitatem finis, et sic non ponunt in actione veritatem hujus metaphorsæ. Quarta sententia non distinguit causalitatem finis a bonitate ipsius finis, nisi secundum quandam moralitatem, quatenus bonitas finis attrahit, et intentionaliter efficit, ut effectus agentis intuitu ejus fiat, et sic ab eo pendeat. Ita Ægidius lib. i de Fine in communi, quæst. vi, artic. i, §. iii. Quod totum non videtur differre ab excitatione, et propositio-

ne objecti per intellectum ut docet prima sententia. Ultima sententia constituit causalitatem finis in quodam conflato ex causalitate physica, et morali: physica quatenus dependentia finalitatis a fine realis est; moralis autem quatenus dependet salutem tanquam a conditione ab existentia objectiva, et intentionali. Ita Arautio viii Met. q. ix, art. ii.

Sit unica conclusio: Metaphorica motio, qua finis dicitur causare secundum veritatem, est primus amor finis, ut passive pendens ab appetibili, non ut active elicitus a voluntate. Hæc conclusio unum supponit et alterum declarat. Supponit quod causalitas finis, licet metaphoricè sit motio, vere tamen esse causalitatem realem, quia alias si totum, quod datur in causalitate finis, esset metaphoricum, et nihil reale, finis non esset vera causa physica, cum tamen sit præcipua, et prima causarum, imo per excellentiam est id, cujus causa seu cujus gratia cætera fiunt; ergo si nullam veram causalitatem habet, vera causa non est.

Quod vero explicanda sit causalitas finis per ipsum appeti, et amari passive, quod in re est ipse amor a voluntate elicitus, non ut a voluntate elicitive, sed ut ab ipso pondere appetibilis passive, sumitur ex D. Thoma q. xxii de Verit. artic. ii, ubi inquit: « Quod sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, et desiderari. » Et primo contra Gen. cap. lxxv, ratione v, inquit: « Quod causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderantur, et ita quanto finis est perfectior et magis volutus, tanto voluntas volentis finem ad plura extenditur. » Et i-ii, quæst. xxviii, artic. vi, inquit: « Quod omne agens agit propter finem aliquem, finis autem est bonum desideratum, et amatum unicuique, ergo manifestum est quod omne agens agit quam-

enique actionem ex amore aliquo. » Sentit ergo D. Thomas, quod influxus, et causalitas finis mediante amore diffunditur: neque enim bonitas finalizans diffunditur realiter, id est, non per sui propagationem, et alterius boni productionem, sed per sui affectum, et ordinationem in ipsum bonum. Idem expressit Scotus q. iv prologi, §. Aliter dicitur, ubi inquit: « Quod finis non est causa, nisi in quantum amatus, et desideratus movet efficiens ad efficiendum. »

Ratio conclusionis est, quia finis finalizat in quantum appetibile et bonum; bonum autem est id, quod omnia appetunt, ut desinit Philosophus, ergo si actione appetibilitatis est causa, reductio ejus in actum erit formalis causalitas, appetibile autem formaliter reducitur in actum per actualiter appeti, propria enim actualitas appetibilis est appeti actus. Item quia finis non finalizat nisi prout in intentione, ergo ejus causalitas intra ipsam voluntatem esse debet, non in aliquo extra voluntatem; neque apparet aliud quam actus ipse voluntatis, quo redditur finis amatus; nam quidquid aliud est, sive habitus aliquis, sive potentia voluntatis, minor actualitas est, quam ad actualem influxum requiratur. Alii vero actus posteriores isto amore causati sunt a fine potius, quam causalitas ejus. Imo ipsemet amor finis, ut elicitus a voluntate est causatus a fine, ut autem passive pendens ab ipso pondere appetibilis causalitas finis est, ut statim magis explicabitur.

Ut autem hoc radiciter percipiatur, advertendum est, amorem seu appetitum actualem pendere a duplici principio, scilicet ab appetibili ut attrahente, et efficiente appetitum, quod explicatur per modum cujusdam ponderis, seu

spirationis inclinantis juxta illud Augustini; Pondus meum amor meus, eo feror quocunque feror; » et sic voluntas fit ponderosa ex ipsa conjunctione, et immutatione appetibilis. Secundo, pendet amor ab appetente, seu voluntate eliciente, quando est appetitus elicitus sicut quando est innatus pendet ab instituente naturam, et dirigente in finem. Et quidem ille actus seu amor ut est actus seu operatio causæ respicit ipsam ut efficientia, seu actio. Ut vero pendet ab objecto, adhuc fundat duplicem habitudinem, aliam specificationis, quæ proprie respicit ipsum ut objectum per modum specificativi, et pertinet ad genus causæ formalis extrinsecæ. Alia est habitudo finalizationis, quatenus actus ille etiam postquam est specificatus respicit alterum, cujus intuitu et gratia fiat, vel si intuitu sui fit, in se habet rationem finis distinctam a ratione objecti. Itaque dependentia actus ab objecto est communis tam objecto, qui est finis, quam qui non est finis, et solum consistit in dependentia ab ipso, ut determinante speciem actus; at vero finis non constituit speciem, sed movet agens ad exercitium actionis, et quia non potest exercere actionem, nisi per aliquam inclinationem, quæ generaliter dicitur appetitus, neque inclinatio potest tendere nisi ad aliquid certum, prius necesse est, quod reddatur inclinatio proportionata respectu illius termini, in quem tendit, et illa proportio, seu immutatio reddit inclinacionem quasi conjunctam ipsi appetibili, et sic inclinatio ponderosa facta tendit in finem, et quanto plus facit aliquod donum ponderare in plures actiones, tanto universalior, et perfectior finis est, et si facit ponderare in omnes, tunc est ultimus finis, et dicitur appeti, et diligi toto corde, imo et amari charitate quia chari-

tas addit super amorem communiter dictum aestimationem rei voluta quasi magni, et cari pretii, ut dicit S. Thomas I-II, quæst. xxvi, art. III. Quare hæc immutatio, seu pondus appetibilis in voluntate in re per actum amoris fit, sed quatenus est elicitæ perfecte a voluntate, dicitur actio voluntatis, et effectus finis, quatenus vero est ab appetibili et subordinatur ei ad amandum, est causalitas finis, et secundum hanc rationem est ab objecto proposito, et præcedit rationem ejus ut est a voluntate elicitivæ, sicut spiratio amorem perfectum, dicitur intellectionem.

Et hoc ipsum agnovit D. Thomas in loco nuper citato art. II, ubi inquit: « Quod appetibile dat appetitui primo quidem quandam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile, et ex ista immutatione appetitus ab appetibili, amor nominatur passio. » Et solutione ad 3, cum objecisset, quod amor non importat ipsum motum appetitus, sed principium motus, et sic non est passio, et motus, respondet: « Quod amor etsi non nominat motum appetitus tendentem in appetibile, nominat tamen motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibile complacere. » Præcedit ergo immutatio complacentiam, quia immutatur ut placeat, et sic est causalitas finis, quia redditur appetibile actu amatum, seu appetitum non denominatione extrinseca sumpta ab actione amandi, sic enim consequitur illam, et non est aliquid reale; sed ab immutatione, qua redditur appetibile conjunctum ipsi appetitui, et appetitus ille coaptatus ipsi appetibili, et sic ipsum appetibile se habet, ut gravitas, et pondus voluntatis, tam respectu sui, quam aliorum. Et convenienter sic

ponitur causalitas finis, quia finis est causa movens modo immobili, non se movens, sed alia immutans, ut patet XII Met. text. xxxvii, lect. VII, apud D. Thomam, et ita causalitas ejus non debet quæri in ipso met fine, neque in aliquo motu ab eo egrediente, sed in ipso effectu ejus, scilicet in ipso amore, qui est effectus, et causalitas finis secundum diversas habitudines, et considerationes, sicut etiam quia Deus immobiliter operatur se ipso est actus ultimus operandi, actio autem operata ad extra est effectus Dei, et non aliquid medium inter effectum, et causam.

*Solvuntur argumenta.*

Primo objicies: Nullus effectus potest coincidere cum sua causalitate, siquidem causalitas est ratio influens in effectum, et ipse exitus rei causatæ, sed amor est effectus finis, etiamsi sit primus quo finis amatur, quia ab ipso fine allicitur, et determinatur voluntas ad amandum finem, ergo ipse amor non est causalitas finis sed causatum.

Secundo: Finis per cognitionem propositus excitat appetitum ad amorem, ergo ante ipsum amorem habet causare, et habet causalitatem, scilicet excitationem ipsam. Antecedens constat, quia voluntas in amore finis dependet essentialiter a propositione, et ostensione objecti, ergo aliquid influit objectum, seu finis in illum amorem, et sic ante actum voluntatis finis habet causalitatem, ergo non consistit in solo amore.

Tertio: Quia ratio finis ut causet, est realis ejus appetibilitas, et non intentionale esse apprehensionis, ergo causalitas debet esse aliquid reale correspondens isti rationi for-

mali, alias si causalitas realis non est, ipsa causa finalis non erit, sed esse actu amatum, seu appetitum non est aliquid reale, sed extrinseca denominatio, ergo non potest esse causalitas vera finis, sicut neque ipsum esse cognitum.

Quarto: Quia causalitas finis est moralis, et motio quædam metaphorica, sed moralis causalitas non est aliquid positivum emanans a causa, alias esset aliquid physicum, et non morale, et realis motio non metaphorica, ergo non est ipse actus voluntatis, seu amor etiam prout pendet a fine. Nam illa dependentia a fine vel est realis, et physica, vel non; si non, ergo prout sic non dependet realiter a fine, nec causalitas finis aliquid reale est; si vero est dependentia physica, cur non dicitur realis motio, sed metaphorica etiam prout pendet a fine?

Quinto: Ista actio voluntatis est etiam causalitas efficientis, et sub ea ratione, qua efficientis est, non est causalitas finalis, sed potius effectus ipsius finis, alioquin confunderentur istæ causalitates, si sub ea ratione, qua est causalitas efficientis, esset causalitas finis, ergo aliquid debet dari præter rationem actionis, ut reddatur causalitas finis, quia si nihil amplius additur, una formaliter erit altera. Illud autem quod additur, debet esse aliquid reale saltem ut modus, et sic oportet explicare quid sit, et frustra confugiemus ad motionem metaphorice, si datur realis modus præter modum actionis, et causalitatis efficientis, qui tamen non potest procedere a fine, cum finis quandoque realiter non existat, apprehensio autem solum se habet ut conditio, non ut ratio causandi.

Ultimo: Finis operatur alliciendo, et attrahendo voluntatem, ut velit, ergo causalitas non potest esse volitio, quia per volitionem non allicit

ad volendum, sed jam est allecta, ergo non est causalitas allicendi.

Ad primum respondetur, quod amor secundum diversas considerationes est causalitas, et effectus finis, nam ut active elicitur ab appetitu, est effectus finis, gratia enim finis operatur voluntas, alias non amaret finem propter finem, quod esset non habere illum pro fine. At vero iste amor finis ut passive se habet ad objectum appetibile, quatenus connaturalizatur illi, et accipitur a voluntate, ut pondus suæ inclinationis immutans ad complacendum, sic est causalitas finis, et ratio appetendi, et exequendi alia, de quo amplius dicemus solutione ad ultimum.

Ad secundum respondetur, quod ipsa cognitio, seu objectum ut cognitum causat amorem, et amor pendet ab illo secundum duplicem considerationem, et ut actus quatenus actio elicitæ est a voluntate, et ut causalitas quatenus passiva quædam immutatio, et connaturalitas est ipsius appetibilis in appetitu, et prout causalitas dependet, et causatur a fine excitante per cognitionem immediate per se ipsam, sicut actio, et omnis alia causalitas a sua causa est immediate per se ipsam. Ut autem ille amor est actio elicitæ causatur a fine, tanquam effectus, mediante ipsa immutatione appetitus passiva ut causalitate. Quomodo autem ista passiva immutatio appetibilis erga appetitum præcedat amorem, ut actio est, statim explicabimus.

Ad tertium respondetur, causalitatem finis esse realem, prout ly reale distinguitur contra ens rationis, non prout distinguitur contra ly intentionale: oportet enim quod finis causet mediante cognitione, ut proponente, et movente voluntatem, quæ motio intentionalis est, vere tamen in re existens, et verum ef-

fectum habens in voluntate, scilicet amorem, non solum ut elicit actio voluntatis, sed etiam ut passio est ab appetibili. Et quando dicitur, quod esse amatum est extrinseca denominatio, distingo; in objecta ad extra, esse amatum est denominatio, concedo; in ipso vero affectu interiori esse amatum, quod est idem atque ipsum appetibile esse conjunctum voluntati, et spirare, seu ponderare in illa ad amorem sui, et aliorum, sic nego. Vere enim effectus ab appetibili ipso pendet, et determinatur, et hoc vocatur amor passive.

Quod si istes: Nam passio est posterior actione, ergo non potest causalitas finis esse amor ut passio, et effectus ejus ut actio, cum causalitas sit prior effectui, non ad ipsum consecuta, respondetur, quod passio consecuta ad actionem non potest esse causalitas finis, sed effectus, multo magis quam ipsa actio, ad quam talis passio consequitur, et sic amor ut est actus immanens receptus passive in voluntate, postquam elicitur ab ipsa, non est causalitas finis, sed effectus. At vero id quod dicimus esse causalitatem finis, est passio seu spiratio appetibilis in appetitu, quæ influit in elicientiam amoris perfecti, quatenus redditur appetitus immutatus ab appetibili seu determinatus, et quasi ponderosus factus ab appetibili, ut tendat in ipsum, et in alia propter ipsum: et sic dicit D. Thomas I-II, quæst. XXVI, art. II, quod prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor. Unde talis passio non est illata ex actione sed actus ut spirans, id est, ex vi objecti ponderans et dans principium actionis, seu inclinationis, quæ est amor perfectus, ut docet ibidem S. Thomas solutione ad 1, et inde infert ibidem articulo III ad 4, quod magis homo in Deum potest tendere per amorem passive

quodammodo ab ipso Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio possit ducere. Quare ista immutatio potentie ab objecto sine elicientia actus non est, sed ut a potentia elicitur perfecte et consummate est elicientia amoris, ut ab objecto conjungente se voluntati per actum, ut spiratio est, et pondus objecti, et a propositione objecti pendens, sic dicitur passio, non quidem secuta ex actione, sed spirata ab objecto et voluntate, ut amoris actus perfecte eliciatur.

Ad quartum respondetur, quod causalitas finis est metaphorice actio, ut dicit Philosophus I de Generat. text. IV, sed non metaphorice est causalitas, sicut jam supra dictum est; quatenus ergo vera causalitas est, veram quoque et realem mutationem importat, et identice est idem cum actu amoris; formaliter autem est vera dependentia ab ipso appetibili ut spirante, ratione cujus dicitur moralis motio, sed vera dependentia.

Ad quintum respondetur, quod causalitas finis non est ipsa causalitas efficientis formaliter, sed identice. Id autem quod formaliter addit, est vera et realis dependentia ab objecto, non quatenus specificante, sed quatenus spirante, et appetitui se conjungente, ut pondere, et inclinetur in alia. Et sicut actus intellectus pendet a virtute intellectiva efficienter, et a presentia objecti formaliter, et tamen vere dependet ab objecto in suo genere, ita quod assimilatur illi terminus cognitionis, sic amor ille, et pendet a potentia eliciente, et ab objecto ponderante, seu spirante inclinationem ad objectum, et hoc non facit objectum nisi conjunctum, et coaptatum nisi appetitui, et talis conjunctio, seu dependentia, et ordo ad appetibile, aliquid reale est in ipso effectui, ut dependente ab appetibili,

et sic est causalitas finis, quia communicat voluntati pondus, et inclinationem ut ratione sui cetera appetantur.

Ad ultimum respondetur, verum esse, quod finis attrahit, et allicit voluntatem, et hæc attractio est ad hoc ut voluntas velit: sed in illa volitione sunt duo, alterum quod est causatum a fine, alterum quod est ratio causandi; neque est mirum, quod causalitas identificetur cum causato: quia etiam actio identificatur cum effectui. Id ergo, quod elicientie seu actionis est in illa volitione, est causatum a fine, quod vero coaptationis et conjunctionis est cum appetibili, seu ordinis ad ipsum, quo redditur ponderans in appetitu, ut inclinetur ad se, et ad alia, hoc dicitur attractio per modum causalitatis ad actum, ut explicatum est.

### ARTICULUS III.

*Ad quæ objecta se extendat causalitas finis, an solum ad media, vel etiam ad ipsam amorem finis?*

Actus, qui a fine causari possunt, id est, gratia illius fieri, quidam pertinent ad ordinem intentionis, quidam ad ordinem executionis. Nominem autem ordinis intentionis intelligimus illos actus, qui respiciunt finem ut objectum volitionis: nomine vero ordinis executionis eos actus, qui respiciunt media usque ad realem finem attingentiam in suo esse. Ad primum ordinem pertinet primo simplex volitio finis, desiderium illius, fructio seu delectatio in mente, intentio. Ad secundum ordinem pertinet electio quam antecedit consilium et consensus, deinde imperium, usus, executio mediorum, assecutio finis, delectatio de ipso assecuto, seu possesso de quibus late S. Thomas I-II, a quæst. VIII usque ad XVII. Ita-

que ordo intentionis incipit a fine volito, et terminatur in volitione mediorum. Ordo vero executionis incipit a mediis volitis et terminatur in fine secundum esse reale assecuto.

In hac autem difficultate non loquimur de actibus divinis, licet enim Deus agat propter finem, tamen neque ipse, neque actus voluntatis ejus sunt res finalitate a fine, quia actiones internæ Dei cum sint ipsa substantia Dei, non possunt esse causata ab aliqua causa, solum ergo effectus ad extra finalizantur a Deo.

Igitur circa assignanda objecta, ad quæ se extendit finis, varia est Auctorum sententia. Quidam enim solum media, et actus, qui versantur circa media, dicunt finalizari a fine, non ea quæ pertinent ad intentionem, et amorem finis. Ita P. Vazquez I-II, quæst. I, disp. III, cap. II; Lorca ibidem disp. III; Cabero hic disp. VI, dub. IV, et alii. Fundamentum est, quia finis movet metaphorice prout in intentione, ergo esse in intentione est conditio requisita, ut moveat, et causet, ergo intentio ipsa non est causata a fine, sed solum actus, qui post intentionem sequuntur, quales sunt, qui versantur circa media. Et fortius urget hoc, si nomine intentionis intelligamus ipsum amorem finis, quem præcedenti articulo diximus esse causalitatem finis: ergo non est effectus illius, alias esset causa sui, sed solum amor aliorum a fine.

Alii e contra sentiunt non solum actus, qui versantur circa media, sed etiam qui versantur circa finem esse effectus finis, non solum ipsam intentionem, sed etiam simplicem amorem finis: de qua sententia videri possunt P. Suarez disp. XXXII Met. sect. III, n. VII; Curiel I-II, quæst. I, art. I, dub. II, §. 4; Conimbricenses II Physic. cap. VII, quæst.

xii, articulo 1, qui tamen dicunt, perfectissimam causalitatem finis versari circa media, imperfectam vero circa amorem ipsius finis. Et aliqui etiam licet concedant intentionem finis esse finalizatam ab illo non tamen simplicem amorem finis, sed hunc requiri tanquam causalitatem, vel conditionem finalizandi: ita Fonseca v Metaphys. capit. II, quaest. X, sect. II.

Et fundamentum pro hac parte generaliter est, quia finis causat appetitum sui, non solum respectu mediorum, sed etiam ad appetendum se, quia non appetitur gratia aliorum, sed gratia sui; ergo etiam amorem sui finalizat, quia nihil aliud est finalizare, quam gratia sui appeti. Verum est magis istam causalitatem finis relucere respectu intentionis, quam respectu amoris simplicis ipsius finis, eo quod intentio licet directe sit de fine, de connotato tamen dicit ordinem ad media, quatenus dicit ordinem ad finem ut assequendum per media: simplex autem amor finis nihil de mediis connotat.

DICO ERGO PRIMO: Agens propter finem finalizatur ab ipso, non ut effectus, sed ut subjectum motum a fine. Haec est contra Aegidium lib. I de Fine in communi, quaest. VI, art. V, §. II et VII, et alios quos ibi citat, qui totaliter excludit agens a causalitate finis. Ratio tamen nostrae conclusionis sumitur ex dictis praecedenti articulo, quia finis non potest causare actionem agentis nisi movendo, et excitando agens ut velit, et agat propter finem, ergo actio ita debet esse effectus finis, quod agens sit excitatum, et motum.

DICO SECUNDO: Ea, quae pertinent ad ordinem executionis tam media ipsa volita, quam volitiones circa talia media, et actiones externae circa ipsa, sunt effectus finalizati a fine. De hac conclusione non est

controversia inter Auctores, quia omne illud est effectus finis, quod fit gratia finis, praesertim si supponitur finis volitus, et amatus, sed omnia ista media, et actiones fiunt, vel appetuntur gratia finis, et supponunt finem volitum, et amatum, ergo sunt effectus finalizati a fine.

Solum dubitabis, quomodo causalitas finis, quae est motio metaphorica, et in re ipsam amari, seu appeti finis, derivetur ad actiones externas, siquidem finis ut volitus nihil reale illis potest imprimere, ratione cujus dicatur finis realiter causare illa, sed solum ponit denominationem extrinsecam in mediis, vel actibus externis, non ergo sunt effectus proprie, et realiter ipsius finis.

Propter hoc aliqui valde laborant in explicanda continuatione hujus causalitatis finalis cum rebus, et operationibus externis. Et quidam solum ponunt extrinsecam dependentiam, et influxum in actiones externas, quatenus modo quodam morali subduntur internis. In ipsis autem internis actibus influxum, seu dependentiam immediatam a fine ponunt. Ita P. Suarez disp. XIII, Metaphys. sect. IV, num. XVII et XVIII. Alii vero etiam intrinsecam, et propriam dependentiam, et causalitatem finis ponunt in operationibus et effectibus externis, quatenus gratia ejus fiunt: quod certe nisi ponatur in actionibus divinis, non poterit causalitas finalis in Deo salvari, siquidem actus interni Dei non causantur a causalitate finis, si quid ergo finaliter a Deo causatur, solum potest esse effectus, vel actio externa.

Respondetur ergo, causalitatem finis eo modo continuari cum actibus, et effectibus externis, quo continuatur inclinatio appetitus, seu voluntatis cum ipsis actibus, et effectibus externis a tali inclinatione

emanantibus. Quia enim actiones externae, et consequenter effectus earum fiunt ab agente, ut inclinato ad agendum et sine inclinatione agens non operatur, omnis autem inclinatio oritur, et dependet ab aliquo primo amore, quo volitus est finis, et ille amor ut pendens ab appetibili, a quo accipit inclinationem et pondus, est causalitas finis, ut praecedenti articulo explicavimus, ita omnis actus, et effectus qui ex tali amore derivatur, secundum inclinationem ejus, et connexionem cum illo, virtualiter participat ipsam causalitatem finis, quatenus ex primo amore reliqua derivantur. Et sicut prima causalitas finis realis est ratione actus amoris cum quo identificatur, ita virtualis causalitas realis est ratione inclinationis, quae ex isto primo amore derivatur in reliquos actus. Quando ergo dicitur, quod actiones externae et effectus earum, quae sunt ipsa media executata solum extrinsece participant rationem finis amati, respondetur, quod si ly *amatum* sumatur pro denominatione orta in objecto ex ipso actu amoris, sic extrinsece tangit actus, et effectus ex amore secutos. Si autem ly *esse amatum*, sumatur pro conjunctione passiva appetibilis ad appetitum, cujus gratia caetera appetuntur, et in quo continetur, sic virtualiter manet in actibus et effectibus, qui sicut ex ipsa inclinatione amoris realiter derivantur, ita virtualiter participant ipsam causalitatem finis, quae in tali amore spirativo, identificato cum ipso actu amoris, consistit.

DICO TERTIO: Finis habet pro effectu finalizato etiam ipsum actum intentionis erga finem, imo etiam ipsum simplicem amorem finis in quantum est actus elicited a voluntate. In prima parte conclusionis conveniunt fere omnes Auctores, praeter P. Vazquez supra citatus in I

sent. Ratio est, tum quia intentio non praecise versatur circa finem, sed etiam attingit media in obliquo, et sic pro hac parte causari debet a fine: tum etiam, quia intentio supponit simplicem amorem finis, a quo derivari potest, nam supponit finem amatum; ergo potest elici intentio ex amore, et gratia finis voliti, nihil autem amplius requiritur, ut aliquid sit causatum a fine, quam quod sit gratia et amore finis, hoc enim esse finalizatam.

Unde patet ad rationes dubitandi pro prima sententia allatas. Ad primam dicitur, quod finis prout in intentione finalizat, non prout in intentione formali, sed radicali: amor autem ille simplex finis est initium, seu radix intentionis, et sic finis prout formaliter volitus, et radicaliter intentus est causa finalizans etiam ipsam intentionem formalem.

Ad secundum respondetur, quod finis non est causa sui secundum idem, sed secundum diversa; finis enim ut amatus est causa sui, ut sit intentus, alliciendo ad sui intentionem, et mediorum volitionem.

Secunda pars conclusionis majorem habet difficultatem, et alii sunt qui affirmant, alii qui negant, et utraque pars testimoniis utitur D. Thomae et ratione: sed nos utrumque conciliamus ex distinctione data de amore passivo, seu spirativo, et elicitive, seu perfecte sumpto; nam amor ut praecise est ab appetibili, non est effectus finalizatus a fine, sed causalitas ejus, ut articulo praecedenti ostendimus; ut autem active elicitur a voluntate, sic est effectus finalizatus a fine, siquidem agendo, et elicendo propter aliquem finem agit, alias a casu, vel fortuito eliceret illum actum, et ex alia parte supponit finem sufficienter conjunctum voluntati per ipsummet



amorem, ut præcise est ab appetibili, ergo habet quiddam requiritur ut amor ille elici dicatur propter finem, seu gratia finis amati, id est, conjuncti ipsi appetibili. Et in hoc sensu intelligimus quod dicit D. Thomas II-II, de Verit. art. II: « Quod influere causæ finalis est appeti: » adjuncto eo, quod dicit I-II, q. XXVI, art. II ad 3: « Quod amor non nominat motum tendentem in appetibile, sed nominat motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibili complaceat. » Sic ergo amor ut ab appetibili, seu appetibile ut conjunctum appetitui est causa finalizans, et causans ut elicitive ametur gratia talis appetibilis immutantis appetitum ut complaceat. Et sic etiam salvatur, quod docet D. Thomas I-II, quæst. I, art. I: « Quod omnis actio humana est propter finem, etiamsi agat actionem, quæ est ultimus finis. » Ergo etiam actio, quæ est amor ultimi finis, ut actio propter finem est: et I part. question. XCII, inquit: « Quod intellectus movet voluntatem per modum finis, quia bonum intellectum est objectum voluntatis, et movet ipsam ut finis: » sed respectu primi amoris datur bonum propositum per intellectum: ergo movet voluntatem, et hoc alliciendo; et per modum motionis finis; ergo ille amor sic elicitus est finalizatus a fine. Nec obstat, quod objectum concurrat ad amorem sui efficienter, ut alii existimant, et sic non concurrat motu metaphórico, sicut requiritur ad finem. Respondetur enim, quod etiam data hac sententia, quæ tamen non est certa, nullum est inconveniens quod utamque causalitatem habeat objectum secundum diversas considerationes. Et D. Thomas in auctoritate allata per modum finis dicit concurrere, quod nobis sufficit. Præterquam quod in hac sententia objectum ipsum non

concurrat efficienter, sed actus intellectus movens voluntatem.

Quod si dicas: Nostram rationem nimium probare, probat enim quod etiam amor, ut passivus est ab appetibili, est propter finem, et causatus a fine, quia supponit bonum propositum per intellectum, quod movet ut finis. Respondetur, quod amor sic consideratus non est a fine ut causatus, sed ut causalitas, et sic dicitur esse a fine eo modo, quo causalitas est a causa, et actio ab agente. Et hoc ideo quia influere causæ finalis est appeti, et desiderari, ut dicit D. Thomas supra citatus, alias non verificatur quod finis gratia et amore sui moveat, nisi aliquis amor supponatur saltem in quantum est appetitus immutatus ab appetibili, seu coordinatus illi, ut finaliter moveat, nam ut est ab appetitu elicitus ille amor, jam debet supponere finem, quia omne agens elicit active, et agit propter finem, et ut dicit D. Thomas III contra Gent. c. II: « Finis est, id quo tendit impetus agentis. »

Ex quibus etiam solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ. Primo enim arguunt: Quia causalitas finis est amor, ut jam sæpe dictum est, quia finis non dicitur causare, nisi in quantum aliquid fit gratia, et amore illius, ergo supponitur amor finis, ut aliquid fiat propter finem, et sic ipse amor non est effectus ejus. Item, quia si ille amor simplex sit effectus finis, non apparet quare bruta non moveant se in finem, cum ipsum apprehendant, et simplici amore in illum ferantur. Nec requiritur quod apprehendatur convenientia finis in ordine ad alterum, id est, ad media, sed sufficit quod in ordine ad se ut ametur; hoc autem apprehendit brutum, fertur enim in aquam, verbi gratia, ut convenientem ad extinguendam situm. Denique, primus amor non po-

test esse ex fine, nisi in quantum aliquis se movet ex fine ad illum amorem, si enim non se movet, non agit ex fine, sed agitur sicut bruta, sed in primo amore nullus seipsum movet, sed tantum a Deo, ut probat D. Thomas I-II quæst. IX, art. IV, ex Aristotele VI Ethicor. cap. XVIII, ergo ille primus amor non est effectus causatus a fine, quia non est a se movente, et dirigente in finem. Et ad hoc etiam facit quod toties dicit S. Thomas quod bonum est finis ut amatum, ut videtur I-II, q. XXVII, art. VI, et in III, distinct. XXVII, q. I, art. I, et quæst. XXI de Verit. art. II, in corpore, ergo finis supponit amorem sui, non causat.

Ad primum respondetur, quod amor est causalitas finis ut passive derivatur ab appetibili, est autem causatus a fine, ut elicitive a voluntate, eo quod voluntas in eliciendo amorem finis, propter finem sibi conjunctum agit, et a fine allicitur.

Ad secundum respondetur, bruta non agere propter finem, quia etsi alliciantur a bonitate finis absoluta deficit tamen illis electio, et intentio tam formalis, ad quam se moveant, quam radicalis, ex qua se moveant, quia carent voluntate initiale intentionem, et hoc ideo quia non moventur a bonitate, ut importat ordinem finis, sive ad media, sive ad ipsum appetentem, et hoc est quod dicit D. Thomas I-II, quæst. I, art. II: « Quod bruta non cognoscunt rationem finis, id est, ipsam convenientiam finis, ut ordinate, et comparative se habet. » Ex hoc autem non sequitur, quod finis solum finalizat media, sed etiam potest finalizare simplicem amorem sui,

quia etiam in illo amari potest finis cognoscendo ipsam rationem finis, id est, ipsum ordinem convenientiæ, quem habet ab appetentem, quod non cognoscunt bruta.

Ad tertium respondetur, quod primus amor finis est a Deo ut movente efficienter, quia non supponit priorem actum ex parte hominis, quo se efficienter moveat, non tamen sequitur, quod in illo actu non agat propter finem, cum ad hoc ipsum Deus moveat ut gratia finis cogniti, et ipsi voluntati conjuncti, et coaptati, velut in ipsum finem. Unde habet sufficientem rationem, et applicationem, ut amet finem propter ipsum et gratia ejus, non tamen ut efficienter moveat se, qui ad hoc requiritur ut ex uno actu se moveat ad alium actum: ut autem propter finem velit, sufficit idem actus sub diversa formalitate, scilicet ex conjunctione et coaptatione finis, ut spirante in ordine ad elicientiam ipsius ut perfecte est a voluntate amante, et sic quod sufficit ad motionem finis, quæ est metaphórica et minor, non sufficit ad efficientem quæ est physica et major.

Et ad auctoritates S. Thomæ respondetur, quod finis non causat nisi ut amatus et desideratus, non quidem secundum quod ly *amatus* est denominatio extrinseca ab amoris actione proveniens in objectum, si enim præsupponit ipsam actionem amoris ex fine factam, et non est aliud quam denominatio extrinseca, non causalitas vera; sed prout ly *amatus* dicit ipsum appetibile conjunctum appetitui et immutans illud, quod fit ipsum amorem non ut formaliter est elicientia, sed ut passive est ab appetibili.